Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Qui uenerunt dicere, non quia missi sunt. In uenientibus presumptio temeritatis est, in missis obsequium seruitutis. Ecclesia autem domini que super petram est uoce fundata, quam introduxit rex in cubiculum suum, et ad quam per foramen descensionis occulte misit manum suam, similis damule hynnuloque ceruorum, quattuor flumina paradysi ad instar eructans de uno fonte, quattuor angulos habet, per quos quasi archa testamenti et custos legis domini lignis mobilibus uehitur. Hec est illa inhacharia quadriga que per omnem orbem leni iugo colla sibi cunctarum gentium subicit. Quattuor preterea flumina pulchre dicuntur de uno paradysi procedere fonte, que quattuor fore euangelistarum numerus monstratur, et quattuor esse perfecte uirtutes, id est prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque iustitiam. Nam sicut quattuor saluberrimis luculentisque fluminibus domini irrigatur paradysus, ita et cor nostrum irrigatur a quattuor euangelicis instrumentis, ex quo pluendo Ihesu Christi domini nostri fonte. Sanctus iste uelud eufrates procedens, de quo nobis sermo est apostolus lucas, euangelicus atque apostolicus disputator libri, qui semper cor nostrum rigare et madefacere non cessat. Et quia eufrates fertilis uel ubertas nuncupatur, ita et iste fertilitatis magne euangelii sui dogmate sancte ecclesie toto terrarum orbe diffuse augens uerbo doctrine sue fidei incrementum, et radio sue claritatis uelud iubar ab ethere ueniens, diffudit multorum hominum ceca pectora illuminans, et cottidie illuminare non desinit. Cuius ei boni nuncii uerba in ecclesia leguntur. Euangelium attice, romane dicitur bonum nuncium, seu bona annuntiatio. Nunciat enim incarnationem et sanctam natiuitatem Christi, passionem ac resurrectionem, uenturumque esse ad iudicium cum gloria ad regnum. Hec sunt quippe vii. sigilla, quibus iohannes dicit librum esse signatum, quem nullus poterat aperire neque in celo, neque super terram, neque subtus terram, neque soluere, nisi solum leo de tribu iuda, id est Christus. Vel ideo bonum dicitur nuntium, quia nunciat regnum post seruitium, requiem post laborem, uitam post mortem. Recte hoc ipsum euangelium iste euangelista lucas ad eundem ut prefatum sumus scripsit theophilum, cui et librum actuum apostolorum idem direxit conscriptum. [illegible] nosse te conuenit quisquis es o homo, qui si deum diligis, ad te est scriptum euangelium. Et si ad te scriptum est, suscipe pretiosissimum omnibus margaritis munus euangeliste, pignus amici, in penetrabilibus animi diligenter obserua. O quale munus uel quale pignus si consideres, si attendas, si intra precordia, si bene et peruigil obseruaueris, ad semper mansura gaudia celi te felix perducet, ac sociat angelicis choris incessabiliter exultandum. Iste est examussim docetur greco fuisse eloquio eruditus, cum in primo exterius quod euangeliorum disputationis ordo exposcit, ea maxime necessitas laboris fuit, ut primum grecis fidelibus omnis prophetatione uenturi incarne dei Christi manifestaret completas, ne uel iudaicis fabulis intenti in solo legis desiderio tenerentur, ne uel hereticis fabulis et stultis sollicitationibus seducti, excedendo elaborarent. Deinde quidem uelut celestis studiosus agricola semen doctrine euangelii in innumabilium hominum mentibus archana serens secretis, et uomere sue insignis lingue annunciationis exsulcans, ad creatoris sui fidem conuertit.

Duplicatis etenim talentis sui domini centesimum secum offerens fructum, ad gemmea celi palacia peruenit regnaturus, ardenti desidio satagens propauit. Nam martyrium sui corporis assiduis lacerationibus, crebris agonis uigiliis, membra sua macerans, ipse sibi induxit. Hic est ab ipso pueritie sue tempore castus omnimodo perseuerans, neque uxorem neque liberos perhibetur habuisse. Ideo non inmerito iste inter angelorum agmina et gloriosum apostolorum chorum, inter laudabilem prophetarum numerum, atque candentia lilia uirginum, et inmarcescibiles martyrum rosarum flores coruscat, omniumque beatorum fruitur consortiis sanctorum. Tradunt preterea nonnulli hunc euangelistam unum esse ex illis duobus discipulis qui post resurrectionem Christi in emaus pergentibus castellum, et de eodem domino confabulantibus inuicem, mox saluator noster sociauit semetipsum eis, quibus et aperuit sensum ut intelligerent scripturas, quem in infractione panis agnoscere non ualuerunt. Qui dum septuagesimum quartum sue etatis ageret annum, obiit in bithinie partibus xv. kalendas Nouembris, et auitis katholicis corpus eius humatum est. Cum his quidem sacrum cadauer plurimis euolutis annorum curriculis, constantino augusto regnante in constantinopolitana urbe cum gloria honoris translatum et decenter locatum est. Ubi quanta et qualia prodigiorum miracula ad laudem nominis sui per merita huius gloriosissimi euangeliste Christus deus noster frequenter coruscat, ad noticiam nostram minime peruenit. Hoc autem diuina prouidentia constat actum, ut scilicet per plura deportatis loca istius uenerabilis euangeliste luce apostoli reliquiis plura uirtutum signa fierent, pluresque per memoriam doctrine et uite huius ad fidem ac dilectionem domini nostri Ihesu Christi, quem predicauit, confluerent, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Passio Januarii episcopi et sociorum

TEMPORE quo Karus cesar monarchiam regni romani tenuit, contigit ut gens persarum dudum subacta romanis rebellandi tumultus concitasset. Quo comperto predictus cesar, ut in romanorum gestis scriptum reperitur, coacto in uno exercitu ad orientem profectus res nobiles contra persas gessit. Prelio eos fudit, et post uictoriam regrediens super tygridem castra posuit, et ibidem fulmine interiit, filium numerianum heredem regni relinquens. Qui statim in initio regni sui ab apri generi sui insidiis deceptus periit. Post cuius mortem dyoclecianus ab exercitu constitutus est cesar, uir obscurissime natus, ita ut quidam dicant eum esse anuli senatoris libertum, quidam cuiusdam scribe filium. Qui potestate accepta multa inordinate in toto orbe romanorum disposuit, maxime tamen contra christianos, quos in tantum persecutus est, ut nullus ante eum in persequendis seruis dei ei similis inueniretur. Nam et per se ipsum, nec non et per subiectos ministros tanta crudelitate in eos crassatus est, ut nulla umquam reges cultoribus dei rogaret. Vnde contigit ut tymotheum iudicem, qui alio nomine draconcius dicebatur, in partes pannonie mitteret, ut si quos ibidem christianos inueniret, diuersis penis consumeret. Factum est autem ut dum secundum preceptum impiissimi cesaris iudex crudelis singulas ciuitates gyrasset, ad explenda diabolica machinamenta uenisset nolanam ciuitatem campanie prouincie, et omnes sibi iussisset officium presentari, ibidem constitutum. Cepit inquirere ab eo iudicia diuersorum antecessorum suorum. Cui cum totum officium obtulisset gesta presidum, peruentum est et ad gesta beatissimorum martyrum sosii mesenatis ecclesie diaconi, et proculi puteolane ciuitatis diaconi, et eutichetis et acutii, eo quod pro nomine Christi sepius uerberibus cesos et diuersis suppliciis laceratos iudex iussisset retrudi in carcerem. Tunc cepit interrogare officium, quid de eisdem fuisset factum. Responderunt dicentes multum esse temporis quod in ciuitate puteolana detinerentur in uinculis, et adiecerunt diffamantes